

Specimen Inaugurale Medicum De Nimio Et Improvido Corticis Peruviani In Febribus Intermittentibus Usu

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1763]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn880875089>

Druck Freier  Zugang



Universität Bützow
Med. Fak. 1763
Detharding/Martini

Bützow 004.1-2



Q. D. B. V.
SPECIMEN INAUGURALE MEDICUM
DE
**NIMIO ET IMPROVIDO
CORTICIS PERUVIANI
IN FEBRIBUS INTERMIT-
TENTIBUS USU**

QUOD
JUSSI ET AUCTORITATE GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA FRIDERICIANA
QUAE EST BUETZOVII,
DISSERTATIONIS INAUGURALIS LOCO
PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS
JURIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

OBTINENDIS
ANNO MDCCLXIII. MENSE FEBRUAR.

EDIDIT
MAURITIUS MARCUS MARTINI

AUGUSTISS. DAN. REGIS MEDICUS CASTRENSIS.



BUETZOVII
TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.
ET ACADEM. TYPOGR.

SPECIMEN INAGGREGALE MEDICINUM
G. D. A. N.
AMIO ET IMPROVIDO
COR TICIS PERUVIANI
IN FEBRIBUS INTERMIT-
TENTIBUS USU

IN ACADEMIA ERIDERICIANA
QUAE EST BUTZOVII
PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS
HABILIS ET PRIVILEGIIS DOCTORABILIS
GOTTINGENSIS
ANNO MDCCXIII MENSE FEBRUARII
EDIDIT

MAURITIUS MARCUS MARTINI
AUGUSTINI DAN. ALBIS MEDICUS CATHEDRICUS

BUTZOVII
TYPIS JOHANNIS GOTTL. FRITZSCHII, CAREN. TYPIC. AUL.
ET ADAM. TYPIC.



PROOEMIUM.



Cum animo mecum ipse reputarem, quodnam potissimum specimen Disputationis inauguralis loco scripturus, ex tam vario & multiplici rerum medicarum apparatu feligerem, atque oculis conspectuique doctissimorum virorum exponerem: opportune se se mihi ob-

A 2

tulit

PROOEMIUM.

tulit illa Medicorum quorundam perversa, ut mihi quidem videtur, ratio & methodus, febres intermittentes omnes, nullo discrimine facto, Cortice Peruviano fugandi. Fortasse mirum videbitur, me curationem, aegrotantium restitutione multoties comprobata, atque adeo factis innixam, hac mea commentatiuncula impugnasse: sed desinent consideraturi, in praxi chirurgica & medica, aliquid pro facto habere & defendere, saepissime admodum esse difficile. Rerum observandarum copia, causae morborum internae & abstrusiores, nostra in experimentis faciendis negligentia, nonnunquam etiam praeiudicatae opiniones, & aptitudo ad artem exercendam parum sufficiens haud raro causantur, ut in cognitione veri & falsi admodum erretur; quibus accedit, quod in quibusdam casibus Medico obviis, quomodo & quatenus natura operetur, tuto iudicare haud liceat. Nullum datur, meo quidem iudicio, morbi specificum, quod semper & omni tempore sperata praestet aut praestare possit, cum circumstantiae, & symptomata ex corporis aegrotantium, licet

PROOEMIUM.

licet eodem morbo decumbentium constitutione semper varient, atque hinc alia atque alia medicamina, pro materiae peccantis varietate postulent. Haud equidem nego, in quibusdam febrium intermittantium generibus, si probe pensitatis earum causis, & iusto ordine exhibeatur Cortex Peruvianus, febricitantibus illum fuisse salutarem; sed saepenumero quoque, experientia edoctus observavi, improvidum huius corticis usum, febre suppressa, excepisse stagnationes, tumores, obstructions viscerum, febres hecticas, malum hypochondriacum, affectusque arthricos, & huius generis alia, quae deinde omnem fere adhibitam operam & curationis diligentiam haud raro eludebant. Proinde haud intempestivum fore duxi, si hac occasione, cuius causa haec conscripsi, nonnulla de nimio & improvido huius corticis in dicta febre usu proferrem, iudicioque virorum doctissimorum experientissimorumque permetterem. Quod si in his multa aut contracta nimis, aut minus perfecta videbuntur: eo facilius veniam consecuturum me spero, quod & variis

A 3 rebus

PROOEMIUM.

rebus occupato, & angusto, dum haec confignavi, temporis spatio circumscripto, nec meditate satis scribere, nec scripta politius limare mihi licuerit. Hinc longe adhuc minus in colligendis aliorum auctorum sententiis fui sollicitus, quorum evolvere & excerpere libros mihi haud integrum fuit. Interim

L. B. vale & fave.



TRA-



TRACTATIO.



Materiam ingredior satis difficilem, id quod innumerae Medicorum de febribus disceptationes, praesertim si ad earum causas respiciamus, testantur. Temporis angustia incluso nimis esset prolixum, & fortasse etiam supervacuum, diversas Medicorum hic hypotheses in medium proferre, & quid sentiant, exponere, quod vel hac ipsa expositione res magis obscuretur, quam lux necessaria accendatur. Sufficiat, breviter tantum pro scopo dixisse,

xisse, quae mentem meam expediant, & quare usum Corticis Peruviani in quibusdam febribus intermittibus quodammodo improbem, declarent. Quod dum aggredior, pauca quaedam de statu corporis naturali & praeternaturali praemittenda esse duco, quibus praesuppositis, de febre intermittente eiusque cura dispiciendum erit.

SECTIO I.

Physiologica quaedam tradens.

§. I.

Cum per Mechanismum corporis humani operationes tantum non omnes peragantur, & corpus sanum sit habendum, quando motus vitales, vel si mavis, motus cordis ac arteriarum, & ex eo dependens circulatio sanguinis in statu sint naturali: tunc certe morbosus corporis nostri status exoriatur necesse est, quando hi motus vitales, aut impediuntur, aut naturalem motum per citatiorem aut lentiozem sanguinis actionem deserant. Constat inter omnes, massam sanguineam per humorum diversi generis secretionem conducere corpori conservando. Multum ergo, immo plurimum ex hoc motu sanguinis posteriori dependet. Hinc statum sanitatis & corruptionis machinae nostrae humanae perspecturus, ad omnia illa sollicite, quantum quidem fieri poterit, attendat, unde hic motus aut conservari aut turbari possit. Quae cum
ita

ita sint: facile perspicitur, attentionem nostram esse dirigendam, ad liquidi illius compositi & humorum illud constituentium naturam, mixturam, eorumque proportionem, ex quorum circumactione secernendi humores salutare quaquaversum in omnes corporis partes disperguntur; ad vasorum secernentium & excrenentium structuram; ad partium solidarum & horum vasorum motum, ex quo compressio ac dispersio humorum, uti & excretio intelliguntur; ad materiam fluidam, qua vasa forsitan antea iam erant impleta; ad secretionis & excretionis gradus, & praecipue ad effectus producendos, quando aut diversi generis humores secreti, aut excrementa, corpori alendo minus apta in unum locum confluunt, atque facta mixtione, & ex interno motu ulterius deferuntur; denique ad vapores sive humores exhalantes, quae per transpirationem aut sudorem abeunt, & inde dependentem in corpore residuorum mutationem.

§. II.

Proinde ad statum corporis naturalem, sive sanitatem potissimum requiritur, ut mixtura humorum & partium structura solidarum sit & maneat illaesa; ut humorum circulatio semper aequalis sit, nec unquam impediatur, propterea, quod ex hac circumactione iusta fluiditas non solum, sed etiam mixtura proportionata continuetur; ut se & excretionem feliciter progrediantur, eoque omnia superflua & vitiosa eiiciantur; ut partium solidarum tonus & motus tonicus, quantitati

B

humo-

humorum respondeat, quo & pressioni illorum resistere & transmissionem promovere possint; ut illud, quod continua serie se- & excretionum corpori detrahitur, cibo & potu, quantum ad nutriendum sufficit, refarciatur, & denique, summam, ut aequilibrium motuum solidarum & fluidarum partium conservetur.

§. III.

His praesuppositis, facillimo negotio cognoscitur, quibus potissimum modis corpus humanum laedatur, ac a statu naturali in praeternaturalem seu morbum transeat. Scilicet hic ratio habenda est tam humorum, quam solidarum partium. Si fluidorum sive humorum conditionem pravam spectes, vel quantitate molis, vel qualitate laborant. Ratione quantitatis, vel nimia liquoris salutaris seu sanguinis abundantia, vel eiusdem defectus & inopia huc referenda sunt. Nam maiorem copiam aequae ac carentiam legitimae portionis huius fluidi, cum in functionibus necessariis peragendis deficient, corpori nocuisse compertum habemus. Qualitatis vitia, vel in miscela a vera & proportionali deviante, vel in humoribus, ex quibus massa sanguinea componitur, acida, alcalinaque acrimonia, glutinosa morbofo & biliosa forde infectis quaerenda sunt, quibus fluidum illud corrumpitur, & varia morborum genera excitantur. Ad malam partium solidarum in corpore nostra constitutionem quod attinet, haec vel ex nimia debilitate & laxitate, vel ex rigiditate nimia & elasticitate, vel ex interna & externa laesi-



laesione & separatione structurae illarum oritur. Nam si nimis sunt laxae & debiles, earum cohaesio tam levi motu tollitur, ut non transmittenda transmittendis confundantur; si nimia rigiditas adest, tum adeo valide cohaerent, ut actioni illorum fluidorum, quae resistantiam superare deberent, resistant, atque transmittenda respuant; si laesio & disiunctio structurae ponatur, actio fluidorum plane cessare videtur. Ex his proinde viscerum vitiis mutua actio & reactio in solidas & fluidas partes interrumpitur atque ita pro varietate materiae peccantis & partium affectarum, ad infinita fere morborum, corpus affligentium genera, via sternitur.

SECTIO II.

Pathologica comprehendens.

§. IV.

Quae haecenus sunt dicta, causam pandunt, unde intelligitur, quantum vel humorum vel partium solidarum pravae dispositiones in fluidum vitale eiusque motum possint; quanta ex his vel singulis vel combinatis vitiis, immutatio in circulante sanguine excitetur, & quare omnia fere morborum genera cum inordinato sanguinis motu sint coniuncta. Inprimis sanguinis citator motus in plerisque aegrotantibus deprehenditur, quam motus accelerationem febrim dicere consuevimus, de qua pro scopo, quem mihi proposui, pauca iam erunt adducenda.

B 2

§. V.

§. V.

Non ignoro, quae difficultates, de natura & causa februm dispicientes premant, & quanta circumspetione opus sit, ne ingens symptomatum numerus, quibus plerumque stipatur, nos in errorem inducat. Ideam aliqualem se quidem habere, sed adhuc obscuram, ingenue plurimi confitentur Medici. Meum non est, his me immiscere disceptationibus, utpote quae a meo scopo sunt alienae; sed potius animus est, in quibus, sepositis specialioribus differentiae determinationibus, conveniant, exponere. Jam se offert primo frigus, quod ratione graduum admodum diversum esse deprehenditur, diversisque nominibus insignitur; deinde subsequens ardor; denique pulsus velocior, quam in sano corpore pro viribus illius adesse solet, per totum febris paroxysmum perdurans. Cum vero solus velox & quandoque durus pulsus febris praesentiae signum sit, qui partim a spasmodica constrictione articularum, partim a velociore cordis contractione recte deducitur, & ex his horripilatio ardorque febrilis intelligi potest: nihil nisi sanguinis motus auctior factus relinquitur, sive hic per totius morbi decursum, ut in acutis, sive per intervalla, ut in intermittentibus contingere soleat. Hinc, ut mihi quidem videtur, consequitur, motum sanguinis consueto auctiorem & citatiorem omnem febris notionem absolvere, nec opus esse, motuum voluntariorum sive animalium debilitatem ad februm naturam referre, ut a clarissimo D. KRÜGERO

GERO factum deprehendo * quippe cum, quod pace tanti viri dixerim, motus voluntarii debiliores effectibus, quos praesentia febris producit, accensendi videntur. Horripilatio, ex spasmō integumentorum corporis oriens, & ardor febrilis ex attritione vehementiori partium sanguinearum proveniens, sunt, meo quidem iudicio, mera symptomata, quae ordinario modo in febrilibus insultibus adsunt. Atque, si dicendum est, quod sentio, haud mihi videtur morbus esse febris, sed morborum corporis status indicium, & nifus illum statum avertendi. In quo quidem fortasse consentientem habeo BOERHAVIUM, quem fere idem dicere mihi persuadeo. **

§. VI.

Missis generalioribus, ad intermittentium febrium considerationem progredior, quarum indoles iam ex praecedenti §. V. satis liquet, in hoc tantum ab aliis febrium generibus discedentes, quod per intervalla impetus suos remittant, ita ut inter duos quosque paroxysmos plena ἀπυρεξία intercedat. Cuius intermissionis ratio, despumatio, seu solutio febrilis materiae in vasis haerentis esse videtur, qua, ob sanguinis concitioris impetum, vel eiectione, vel dissipatione & rarefactione subacta, ipsa sanguinis ebullitio cessat, usque dum materia succrescat nova, quae vasculis minimis

B 3

se

* Joh. Gottl. Krügers Naturlehre Part. III. Sect. II. §. 3.

** BOERHAVE in Aphorismis de cognoscend. & curand. morbis §. 573.

se agglutinans, paroxysmis novis excitandis denuo ansam praebeat. Quid vero causae sit, cur impetus illi febriles statim tempore recurrere soleant, altioris manet indaginis, & forsitan frustra in his detegendis laborabit virorum in arte salutari doctissimorum industria.

§. VII.

Jam de causis tam primariis quam secundariis, quae scopum nostrum propius tangunt, paucis dispendendum est. Quod si omnia, quae in his febribus notanda veniunt, sub examen vocentur, duplex causa primaria, viscida scilicet quaedam materia in primis viis & minutissimis vasculis haerens; deinde bilis nimia abundantia intestinis communicata, constituenda videtur.

§ VIII.

Primam causam febrium intermittentium primariam liquida esse viscida in minimis vasis stagnantia, atque ex his velociorem & fortiorem cordis contractionem enasci, vel inde patebit, quod his admittis, omnia febrium symptomata, assidui harum comites, hinc satis commode elicere possimus. Atque, nisi me omnia fallunt, nonnunquam per sensus ipsos haec cognoscuntur. Quod si ergo ponamus, viscosa illa per vasa lactea massae sanguineae communicari: certe motus huius fluidi retardatus, huius communicationis effectus aderit. Motu illius retardato, circulatio huius fluidi in anastomasibus, quibus mediantibus ve-
nis

nis copulantur arteriae, in tantum ad minimum in vasis capillaribus cessabit, unde illorum contractio & frigus initium capiat necesse est. Cum autem motus cordis systolicus & diastolicus, quoad vivimus, non sistatur, sanguis, cui in extremis partibus impedimenta obiecta erant, multo minorem transiens peripheriam, maiori, ut antea copia atque saepius iteratis vicibus in ventriculos cordis se infundet, illosque ad fortiorem & crebriorem contractionem concitabit. Quo fit, ut deinde maiori & quasi duplicato impetu, in partes obstructas, & antea ea de causa resistentes irruat, viscidum moveat, agitet, propellat, & has partes intensiore afficiat calore, donec materia peccans, aut expellatur, aut rarefiat, aut dissipetur.

§. IX.

Nec deesse expertis exempla, quae evincunt, solam bilem saepius causam februm intermittentium primariam existisse, non sine maxima probabilitate profiteri licebit. Hoc ex bile periculum, a motibus, quibus tunicae, tam nervosa quam muscosa afficiuntur, convulsivis derivandum duco. Bilis enim, maiori, quam opus fuit, copia se in intestina insinuans, motum intestinorum peristalticum augebit, atque reliquas corporis partes, ob nervorum inter se concentum, & arctissimum intercedens vinculum, non levius disponet ad motum praeternaturalem, spasmodicasque contractiones. Atque hoc praecipue in subiecta debi-

debiliora, viribus, aetate, vigiliis, labore aut gravi-
ori morbo antegresso, prostratis, cadere posse, certo
sum persuasus.

§. X.

Accedo ad causas febrilium affectuum secundari-
as tum internas, tum externas, quae numero, varietate
& combinatione infinitae sunt, quibus recensendis,
medicorum, licet solertissimorum deficit industria.
Hinc pauca pro ratione scopi hic delibasse sufficiat.
Ad interna revoco omnia vitia, febrim excitantia,
quae vel ex quantitate vel qualitate humorum derivari,
vel ex mala partium solidarum constitutione fluere
possunt. Quae vero, ingestionibus, & applicatione ex-
terna, febrilibus insultibus concitandis ansam praebent,
ad externa refero.

§. XI.

Ad secundarias easque internas febrium intermit-
tentium causas quod attinet, humor vitalis vel excessu
vel defectu quantitatis peccare potest. Quod si maior
copia sanguinis, quam ad vitales functiones requiritur,
ut in Plethoricis observamus, adsit, vasa sangvifera ex-
traordinarie implentur, motus tonicus debilitatur, par-
tesque solidae ad intensiorem motum incitantur, quo
facto, cor fortius contrahitur, & motus sanguinis fit
concitator. Moles sanguinis iusto minor febrim exci-
tando non minus apta apprehenditur. Nam fieri po-
test,

test, ut massa sanguinea, tam multis humoribus per se & excretionibus orbata, haud sufficienter affluente pabulo laudabili & gelatinoso, tenuior reddatur, quam ut humores vasis omnibus convenientes communicare possit. Huic anemiae famem diuturnam, excedentes haemorrhagias & nimiam stomachi flacciditatem ortum debere constat. Qua posita, vel motus stomachi & concoctio impeditur, vel insufficientis sanguini chylus additur. Cum vero motus vitales continentur, locus spasmatibus & inaequali motui sanguinis relinquitur.

§. XII.

Humores, massam sanguineam constituentibus hic non praetereundi sunt. Qui, si vel per se minus recte se habeant, vel in mixtura aliquid vitii contrahant, fomites febrium etiam intermittentium dici merentur. Acidam acrimoniam, gluten viscosum, alcalini abundantiam & bilem adustam hic producere nullus dubito. Humores acres acidi, ex cibis acrioribus, debilitate fibrarum, & intermissione corporis motus contracti materiam febris dare posse, inde pronum est, quod nervi iisdem irritentur, ad spasmodicas constrictiones disponantur, & circumactio sanguinis inde augeatur. Gluten morbosum febrem producere quis negabit? Nam si nimium farinosa, cruda & immatura ingerantur, quae deinde sanguini admiscantur, si debilitata sint vasa & motio corporis negligatur, aderit stagnatio, sanguinis retardatio & motus huius fluidi, functiones suas per-

C actu-



acturi, irregularis. Ex humoribus alcalinis nimum auctis idem periculum imminet. Etenim sal alcalicus, qui sanguini inest, facile sua natura particulas sanguinis sulphureas vinculo suo liberans, abundantia sua efficiet, ut spiritus volatiles, qui per particulas sanguinis gelatinosas non satis reprimuntur, maiorem sanguinis aestum excitent. Si bili excrementitiae, quae per communem cum succo pancreatico ductum ad intestina transmittitur, aliquid iungitur, quod mixtionis vinculum dissolvit, sive chylus aqueus, nidorosus & corruptus, sive lymphæ ob stagnationem aescens, vel crassior alius humor, a statu naturali declinans ille fuerit, per intensiorem calorem, ex naturali excrementitia praeternaturalis bilis generatur. Humor quippe ille excrementitius in prima corporis regione stagnans putredinem intra vasa concipiet, & ipse quoque sanguis ad cor per venas refluens a fermento bilis putredinosae labefactatus sensum vitalem in corde irritabit, cuius velociore motu, & stricturis spasmodicis locus erit, & ipse sanguis aestum recipiet & motum vehementiorem.

§. XIII.

Partium solidarum praeternaturalis status ad classem harum causarum referri potest. Debilitas & laxitas fibrosae compagis vasorum & viscerum non tantum, sed nimia rigiditas etiam & elasticitas huc pertinent. Si enim vasa ob excessum glutinis, quo coniunguntur, debiliora sint & laxiora, id quod ex cibis corpori nutriendo haud idoneis, & in naturam liquidi nostri

nostri vitalis non transeuntibus oriri potest, liquidum per vasa maiora permeans immutatur & viscosus nimis redditur; quod ex motu muscutorum torpescente & defectu motus animalis provenire solet, facile namq[ue] horum vasorum compressio, liquidi stagnatio & cordis aucta contractio inde deducitur. Rigiditatis & elasticitatis vasorum consideratio aliam nobis paroxysmorum febrilium originem dabunt. Nam cum defectu glutinis vasa fortia, rigida & nimis elastica fiant, quod usu venire solet, quando cibi dyspepti, salini, acres, vel potus spirituosi, quales fortiora vina & adusta esse scimus, quibus vasa adstringuntur, nimia quantitate ingeruntur, quando motus muscularis excedit, atque corporis animique motus modum transeant: tunc certe arctatis vasis, compressis & repulsis liquidis suis, motus sanguinis ordinarius interrumpitur, stagnationesque in vasis, convulsiones, in ipso sanguine vero celeriore massae actionem excitare poterunt.

§. XIV.

Excreta & retenta febrium incitamenta recte dicuntur. Nimiae excretiones per alvum, salivam, liquorum ad intestina deferendorum abundantiam, bilem, haemorrhagias, diabetem, transpirationem & sudorem factae, concoctionem impediunt sanguinique necessarios subducunt humores. Quid mirum, si condensata nimis sanguinis massa, acriorve facta, sequatur stagnatio in vasis minutissimis, illorum constrictio, & motus massae huius ab naturali ad praeternaturalem



deuius & velocior. E contrario excretionem, praecipue per transpirationem, prout debuit, non recte peracta, in vitali fluido remanebit acris quaedam materia, quae haud raro impetui febrili producendo ex dictis §. XII. fati apta deprehenditur.

§. XV.

Motus corporis & animi in recensendis causis non videtur negligendus. Corpora nostra ex motu eorundem iusto vehementiori contrahunt in partibus solidis siccitatem & impermeabilitatem, circumactioni maiorem humorum velocitatem, quibus tenues & fluidi liquores exhalantur, oleosae & terreae particulae mutua attritione quasi comburuntur. Motus corpori denegatus humores acida acrimonia & glutine morbofo inficit, vasa debilitat & laxat. Affectuum animi in corpore effectus, eo mihi redire videntur, quod his exortis, fibrillae nerveae subita contractione corripantur. Quia autem, hac constrictione facta, non solum venae per se constringuntur, sed etiam adhuc magis a partibus carneis, quas transeunt, comprimuntur: in minimis vasculis sanguinis propulsio sentit resistantiam, qua in illis sanguinis circumactio impeditur & in maioribus accumulatur. In his omnibus febrium latere causam, supra allata respiciens quis negabit?


§. XVI.

Somnus nimirum largus & vigiliae nimiae internarum causarum agmen claudant. Consuetudo dormien-

miendi immoderata liquidum vitale condensat, lentorem ei conciliat, & iisdem, quibus motus corporis neglectus, continetur effectibus. Subtractio necessariae quietis omnia illa, quae motui nimio corporis adscribuntur, fere habet communia. Recte ergo febrium causas adduntur.

§. XVII.

Restat, ut de febrium intermittentium causis secundariis externis pauca dicam. Aër nos ambiens, quem inspiramus & respiramus, non caret ad febres producendas influxu. Ille vel calidior & frigidior, vel humidior & ficcior, vel vaporibus impuris & noxiis refertus esse potest. Nimia aëris caliditas & siccitas transpirationem & sudores auget, congelationem humorum & exsiccationem partium solidarum promovet, & viscerum intestinalium obstructions creat, hisque insultibus febrilibus viam aperit. In frigidiore aëre fibrae contrahuntur, & quo cohaerent arctius, eo fortiores redduntur, ex quibus, pro re nata, stagnationes, fricturae spasmodicae & velocior cordis contractio oriuntur. Quod si aër est humidior, partes solidae laxantur, debilitantur, extenduntur, sanguinique iusto subtiliores & aquosiores liquores relinquuntur, hinc febrium origo. Aëre sordibus vel acris vel alcalinis nimium infecto, motus fluidi nostri salutaris irritari & ad velociorem disponi circulationem potest. A subtiliori aëris conditione forte etiam febrium metus. Cum enim sanguis ex ventriculo cordis dextro ad pulmonem defertur, mediante aëre condensatur & miscetur perfectius. Jam



vero, si aer huic operi perficiendo sit subtilior, sanguinis illa densitas & mixtura non adest, quae ad se & excretiones requiruntur, atque adeo humores non satis praeparatos vasculis insinuat, in quibus stagnationes conciliantur, & spasmata cordis contractionem reddentes auctiorem. Cibos & potus qualitate & copia peccantes tantum nominasse sufficiat, cum ex supra prolati iam pateat in febribus gignendis influxus.

§. XVIII.

Vt autem omnis hic evitetur error, sensusque animi recte percipiatur, praetereundo monere licebit, has causas secundarias febrium excitatrices in aegrotantibus fere nunquam solas & sine alia concomitante causa reperiri, febresque ut plurimum ex combinatis pluribus originem trahere. Quibus rite diiudicandis, nec temporis & aetatis observatio seponatur, nec decumbentis temperamentum, vitae genus & constitutio corporis, & si quae sunt alia, negligantur.

SECTIO III.

Therapeutica continens.

§. XIX.

Priusquam de intempestivo Corticis Peruviani usu in febribus intermittentibus corrigendis mentem explico, de specifico illo, quod in Cortice illo multi invenisse sibi persuadent, eiusque virtute quaedam proferre, necessitatem mihi esse impositam video.

§. XX.

§. XX.

Cortex Peruvianus, quem & nonnulli China de China appellare consueverunt, illis vegetabilibus annumerandus est, qui sunt peculiaris activitatis. Probat id loci natura, unde ad nos affertur. Patriam provinciam sive coloniam Hispanorum Americanam, Peru dictam, agnoscit. Quae cum ab aequatore non multum absit, regionibus calidissimis accensenda est. Hinc ut opinor efficitur, energiam praeeminentem omnibus, quae terra alit, quippe continuis fere solis radiis calefacta, pro varietate structurae & humorum eo communicari.

§. XXI.

Nec obscura haec Corticis virtus esse potest, quoniam vis adstringens vel si mavis, tonica, qua praeditus est, ex specifica eius natura facile intelligitur. Hac vi sua attractiva & antiseptica, usum praestat singularem, si vasa & viscera debilia sunt & laxa, humores solito tenuiores & acres, atque ad liquidum putredinale proclives. His positis, si Cortex Peruvianus debito ordine, dosi, regimine propinetur, partes solidae corroborantur, sanguis & ipsius humores diversi condensantur, & a putredine increbescente liberantur. *

§. XXII.

Inesse huic Cortici quoque aromaticum quid & naturae admodum gratum balsamicum, id quidem ex odo-

* vid. Philosophical. Transact. N. 484. p. 585.



odore & sapore non percipitur, attamen ex aqua per destillationem extracta, & spiritus vini ope probatur.

§. XXIII.


Haec haecenus a nobis proposita viam nobis in curandis febribus, & provido huius corticis exhibitione monstrabunt. Quae adhuc dicenda supersunt, ad causarum & huius adducti specifici naturam, quam brevissime fieri potest, accommodabo. Non omnem me huius corticis usum improbare ex dictis elucet, nec, ut opinor, quemquam, cum tantum providum usum, quem & viri celeberrimi commendant, * in medicis requiram, de hac mea mente prolixius esse monendum puto.

§. XXIV.

In curandis omnibus morbis, ergo & in febribus intermittentibus causa materiae peccantis scrutanda est, quae tam diversa est, ut medicastris praedicatum mereatur, qui semper eadem chorda oberrare, & medicamine, quod forte effectum in curatione aegrotantis feliciter praestitit, nullo discrimine habito, ad omnia eiusdem morbi genera, licet variantibus causis orta, uti velit. Specifica non sunt, nisi legitime & provide adhibeantur. Variant rem circumstantiae, symptomata, causae. Ergo & Cortex Peruvianus non erit Panaceae genus, quod omnibus febre laborantibus tuto porrigendum sit.

§. XXV.

* vid. SYDENHAM in opp. p. 22.



§. XXV.

Sed propius de his dispiciamus. Cortex noster praecipuam laudem, si virtutem respicias, in his febribus fugandis, (nam in continuis, communi consensu, haud raro noxius deprehenditur) tum obtinebit, quando stypticorum necessarius videtur usus, sin hanc in adhibitione cautelam neglexeris, haud mirare, si expectationi eventus non respondeat, sed potius oleum & opera perdat, atque aegrotans vel aliis gravioribus morbis, quales causus, febres hecticae, malum hypochondriacum, arthritidis, tumores, & alia vix medicamentis expianda, vel letho tradatur.

§. XXVI.

Cum viscida materia in primis digestionis officinis haerens causam primariam harum febrium constituat, necesse est, ut morbi causa incidatur, subtilifetur & removeatur; symptomatibus, quando opus est, obvietur, & partes debilitatae confortentur. Eliminatio mali optime per evacuantia, vel, si debiliora forsitan sint subiecta, per incidentia & saponacea perficitur. Evacuantia vel per os vel per alvum purgant. Quidnam vero in primis laboranti prodest, peculiare indicationes ostendent, quibus medicus, cui cura aegrotantis curae cordiq; esse debet, observandis omnem merito navat operam. Incidentia & saponacea ideo propinanda debilioribus videntur, quod materiam primis viis impactam ob naturam suam mollire, fluidamque reddere queant. Hinc errorem satis noxium admittit, qui his neglectis, per Corticis Peruviani exhibitionem fugare

D

febrem

febrem praesumat, cum eius usu praepostero materia peccans magis induretur, & motioni fortius resiltat. Symptomata remediis palliatis, si eorum nimis saeva fuerint conamina, leniuntur & corroborantia lenissimi generis, non alterantia adhibenda sunt. Quibus efficiendis Cortex Peruvianus, ob vim attractivam, & alterantem plane est inutilis.

§. XXVII.

Ponamus iam, in bile, vel nimia affluentia ad intestina labente, vel adusta mali causam esse quaerendam: tum certe, quoniam multitudo humoris biliosi excernenda non inspissanda, & adusta bilis movenda atque rarefacienda, non adstringenda est, cortex Peruvianus satis improvide porrigitur.

§. XXVIII.

Ortum ex quantitate & qualitate sanguinis malum, huius Corticis quoque respuit propinationem. Quantitas nimia venae sectionem & diluentia desiderat, non styptica & attractiva; minor e contrario cibos molles nutrientes, copia parva & saepe repetita assumendos, diluentia, alvum solventia poscunt, nec constringentibus erit locus. Qualitatis vitium ex glutine morboso proficiscens adstringentia ex hoc capite non admittit, propterea quod his inspissetur magis, sed diluentia, resolventia, biliosa & saponacea saluti tantum consulunt.

§. XXIX.

Ex natura rigiditatis vasorum facile elicitur, huic vitio humectantibus, lenientibus, emollientibus esse occurrendum, & astringentia hic male applicari, quippe cum eorum usus potius sit noxius. His enim malum augetur, non tollitur.

§. XXX.

In excretis & retentis, vel humores sanguini detrahuntur, vel materia acris in sanguine manet residua. Hic ergo humores addendi, non constringendi, acris materia separanda, non compingenda. Motus corporis nimius fluidum salutare exsiccat, cui vitio

tio abigendo aquosa, diluentia, blanda lenientia conducunt, non attractiva. Si affectus animi in censum voces, anodynis, antispasmodicis curatio, non cortice adstringente effectus sedantur. Idem de febrilibus morbis, ex somno superfluo & vigiliis originem ducentibus, defendendum arbitror.

§. XXXI.

Feбри ex sicca, calida & frigidiore aëris conditione contractae, quod exinde humores exsiccentur, & fibrae fortius adducantur, nullum in Cortice Peruviano validum levamen esse, recte colligitur. Quod si ingesta alimenta & potiones fortiores fomites harum februm extiterint, sive illa acria acida, sive acria salina, sive aromatica calefacientia fuerint: cortice Peruviano non multum hic effici, natura & effectus illorum demonstrant.

§. XXXII.

Interim, ne omnem usum huius corticis negare videar, ingenue confiteor, me non sine maximo & praesentissimo emolumento hunc aegrotantibus propinasse. Si februm causa adstringentia admittit, quod ex velociore, simulque debili pulsu fortasse diiudicari potest: tunc certe illius corticis exhibitio admodum erit salutaris. Huc refero causam morbi, in acida acrimonia, debilitate vasorum, in neglecto corporis exercitatione & in aëre humidiori latentem, in quibus omnibus debilitas & laxitas vasorum & viscerum praesupponitur. Roboranda hic sunt viscera. Quae corroboratio cum per adstringentia feliciter succedat: nullum fortasse melius, hoc cortice, remedium excogitari poterit. Ex alcalinis dominantibus, quibus etiam aërem acribus & alcalinis vaporibus refertam adiungo, & ex nimia subtilitate si febres sunt effectae, Corticis Peruviani usum qui reicit, forsitan naturam horum malorum & effectus ignorat. Nec desunt exempla, febres autumnales, praecipue quartanas, insultus suos, quasi consuetudine motus ad statum praeternaturalem corpore disposito, continuare, quamvis materia peccans accessionibus toties repetitis & medicamentis sit subacta. Id in subie-



ais, viribus per diuturnum tempus durationis exhaustis, ex virium defectu contingere solet. Hic vires restituendae. Cum autem haec confortatio viscerum, & virium corroboratione, atque ita adstringentibus perficiatur: corticem peruvianum balsamica vi instructum tuto propinari puto, dummodo, non adesse signa aut internae inflammationis, aut collecti alicubi puris, aut obstructi huius vel illius visceris, sinus persuasi.

§. XXXIII.


Qui vero rem accuratius pensitaverit, etiam in hoc exhibendo, provido moderamine opus esse videbit. Discernendae sunt tempestates, anni observandum est tempus. Pueri, iuvenes, sexus sequior, otiosi, vitae sedentariae dediti, quorum omnium vasa sunt laxiora, distinguendi ab adultis, viris, laboribus exercitatis, qui vasis gaudent rigidioribus. Hominum temperamenta & inclinationes, vitaeque genus, cui sunt adsueta, providam medici curam mirum in modum sollicitant & circumspicuum Corticis usum ipsi commendant. Hanc curam intempestiva interdum aegrotantium auget taciturnitas, quae haud raro medicum, nisi artem de instantibus verissime iudicare, & de futuris callidissime conicere optime calleat, in causis morborum indagandis deserit, iudicium ipsius suspendit, & in errorem inducit. Denique corticis usus moderandus, tempus iustum exhibitionis definiendum, conveniens aegrotantibus mixtura illius cum aliis conducentibus observanda, & dosis pro ratione subiecti distribuenda est, quae omnia providam medici curam omnino postulant.


§. XXXIV.


Sed vela contraho. Mentem meam de usu Corticis exposui, & in quibus optime exhibeatur pro temporis ratione ostendi, nec ea praetermissi, quae improvidum ipsius usum declarant. Sat dictum esse arbitror, unde videri possit, improvidum usum corticis ad multa mala viam aperire, & graviores morbos quin mortem ipsam accelerare. Tuum Lector benevole, quid praestiterim, iudicium esto.











the scale towards document



§. XXV.

ius de his dispiciamus. Cortex noster
idem, si virtutem respicias, in his febrim
(nam in continuis, communi consensu,
is deprehenditur) tum obtinebit, quando
cessarius videtur usus, sin hanc in adhi-
m neglexeris, haud mirare, si expecta-
on respondeat, sed potius oleum & ope-
atque aegrotans vel aliis gravioribus
causus, febres hecticae, malum hypo-
arthritis, tumores, & alia vix medica-
la, vel letho tradatur.

§. XXVI.

ida materia in primis digestionis officii-
usam primariam harum februm con-
est, ut morbi causa incidatur, subtilise-
tur; symptomatibus, quando opus est,
tes debilitatae confortentur. Eliminatio
r evacuantia, vel, si debiliora forsitan sint
acidentia & saponacea perficitur. Eva-
os vel per alvum purgant. Quidnam
laboranti profit, peculiare indicationes
us medicus, cui cura aegrotantis curae
bet, observandis omnem merito navat
entia & saponacea ideo propinanda de-
ntur, quod materiam primis viis impa-
am suam mollire, fluidamque reddere
errorem satis noxium admittit, qui his
Corticis Peruviani exhibitionem fugare
D febrem